

† R. P. Cyrus Ryder (1844-1931).

(Prov. Anglicae).

Kalendis Februariis Londini (*Clapham*) in Collegio S. Mariae de Victoriis, post diuturnum, indefesso labore meritisque plenum vitae cursum sancto fine quievit R. P. Cyrus Ryder, Provinciae Anglicae decus et ornamentum, cuius memoria in benedictione est.

S. Alphonsi monito studiose obtemperans, foris arduos vitae Apostolicae labores animose sustinuit, domi autem orationis virtutisque exercendae praeclarum se praestitit exemplar. In Anglia, Scotia et Hibernia missionibus et exercitiis populum, clerum et religiosas viorum mulierumque familias impigre excoluit. Domum redux, regularis observantiae animique recollectio- nis amantissimus, numquam otiosus, in studiis et fundendis precibus tempus terebat. Sacrum Beatiissimae Virginis Rosarium e manibus numquam dimittebat; et SS. Sacramenti visendi causa oratorium domesticum frequentabat assidue; neque ullum diem praetermittebat, quin Viam Crucis obiret: immo, ut omnes in hoc pio exercitio peragendo iuaret, meditationes et preces, ab E^mo Domino Card. Newman hunc in finem compositas, nitida forma denuo edendas curavit.

Erga Missae sacrificium summa religione et pietate affectus, non solum a Missa celebranda numquam, nisi morbo omnino prostratus, abstinuit; sed sacrosancto Sacrificio, quam saepissime liceret, etiam interesse in deliciis habebat, dicere solitus: « Morti proximos quaelibet Missa, devote umquam audita, maximo nos gaudio afficiet ». Quantam Praepositorum fiduciam et aestimationem sibi conciliaverit, hinc evidenter apparet, quod singula fere officia identidem ei concredita fuerunt. Votis religiosis vix nuncupatis, in Hiberniam missus est, ubi quinquennium confraternitati S. Familiae Limerici Director praefuit. Tum in Anglia studiosae iuventuti Praefectus, S. Theologiae Lector, variisque familiis nostris Rector praepositus saepe fuit. Aetate provectus, Superiori Provinciali consiliarius adfuit, ac



† R. P. Rider, a. 1910.

deinde Rectori locali Admonitor. Iam senescentem Rector Maior Visitatorem extraordinarium Provinciae Hibernicae designavit.

Nonnullas etiam perutiles lucubrationes reliquit. Et primum quidem Illī et Revī D. Guillelmi Smith, S. Andreeae et Edimburgensis Archiepiscopi, omni doctrina eruditum opus de auctore Pentateuchi in compendium redegit, eique adiecit responsa ad ultimas recentiorum huius aetatis auctorū difficultates. Egregiam quoque scripsit vitam Thomae Eduardi Bridgett C. SS. R.

Sed tanti viri anteactam pariter vitam paucis recolere libet. Maiores eius in Anglicanae ecclesiae dignitatibus eminebant: pater parochiae Eastoniensi, avus dioecesi Lichfieldensi praeverat. Avunculos habebat Samuelem Wilberforce, Episcopum Anglicanum, et Henricum Eduardum Manning, qui post conversionem suam creatus est Romanæ Ecclesiae Cardinalis.

Cum in lucem ederetur (die 15 Iulii 1844), parentes haeresim nondum abiuraverant; quod tamen paucis post annis fecerunt. In Ecclesiae gremium recepti, liberorum suorum animos pietate adeo vere catholica imbuuerunt, ut Cyrillus duos fratres sacerdotes, et sororem mulierem sanctimoniale habuerit.

Iuvenis, cum ad sacerdotium evehi cuperet, quo magis in sacrarum disciplinarum studiis progredieretur, primum ad S. Mariae Seminarium in Birminghamensi dioecesi (*Oscott*), deinde Romam ad Venerabile Anglorum Collegium missus est. In Alma Urbe magistros habuit Cardinalem Franzelin et Patrem Antonium Ballerini. Die 21 Decembris 1867 in Archibasilica Lateranensi sacerdotio auctus, in Angliam rediit, ubi inter S. Caroli Oblatos plus quindecim annos flagranti zelo in Westmonasteriensi archidioecesi animarum saluti consuluit; donec, discedendi venia impetrata, anno 1883 novitiatum in Bishop Eton, prope Liverpolium, ingressus est. Ibi postero anno (die 1 Novembris 1884) votis religiosis se obstrinxit, firmiter statutum habens, perspicax ingenium, a Deo sibi concessum, cunctasque fervidae indolis vires saluti animarum et dilectae Congregationis bono impendere.

Ultimis vitae annis, cum vires corporis paulatim decrescerent, neque amplius ad missiones excire posset, domi tamen omnibus in ecclesia officiis fungi pergebat; quin etiam, iam octogenarius, exercitia spiritualia vel nostris in domo studiorum, vel religiosis viris feminisque solito ardore haud raro praedicabat. De adamantino sacerdotii eius iubilao cf. *Analecta VII*, 43.

Postmodum, aetate confectus et prorsus invalidus, Deo gratias agebat, aliquod sibi adesse temporis spatium, quo senectutis incommodis patienter tolerandis et assiduis fundendis precibus animum componeret et ad felicem exitum praepararet. Tandem, vix mentis compos, crebro loquebatur de visione beatifica, qua se iam frui putabat.

Die 1 Februarii, aetatis anno 87, sacerdotii autem 64, a professione religiosa 47, placide in Domino obdormivit. Die 3 Februarii exuviae in coemeterio S. Mariae Magdalena (Mortlake) appositaæ fuerunt.

De eo praedicare liceat, quae S. Maximus (homil. 59) de S. Eusebio asserebat: «Anchoram spei tranquilla iam in statione composuit, et plenam caelestibus divitiis et aeternis mercedibus navem optato in litore collocavit.»
